



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij

Schrötel, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1633

Sedes Sapientiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

SEDES SAPIENTIÆ:

Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem ; a & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus. & *summitas throni rotunda erat in parte posteriori; & due manus hinc atque inde tenentes sedile; & duo leones stabant iuxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde* : Non est factum tale opus in vniuersis Regnis.

Si pretium & artificium huius throni spectemus, res est quidem admiratione digna ; sed si rem significatam consideremus, multo magis animos nostros percellet.

Per Salomonem plurimis locis Christus Dominus est præfiguratus, propter pacem, diuitias, sapientiam, magnificentiam, &c. Per hunc autem thronum Ecclesia B. Virginem intelligit:

a 3. Reg. 10.

git
tu
ter
fit
D
m
H
h
g
th
M
te
r
S
o
f
c
c
c
I

git: Ita enim canit: *Natiuitatem perpetue Virginis, genitricis Dei Mariæ, sollemniter celebremus, qua celsitudo throni processit. Summum scilicet fastigium throni Dei. vel thronus celsissimus, elegantissimus.*

Glossa ordinaria, & peculiariter etiam Hugo Cardinalis, de B. Virgine, quoque hunc thronum interpretantur, in cuius gremio Christus sedit, tanquam in throno nobilissimo.

Per ebur significari volunt puritatem Mariæ propter albedinem, & frigiditatem, quæ etiam motus libidinis in alijs refrigeret, item soliditatem & robur Spiritus. Addit Halgrinus, quia ebur os Elephantis est, qui perpetuam cum serpente inimicitiam gerit. ipsa conteret caput tuum.^a

Duas manus sedile tenentes, extinctionem fomitis interpretatur, & conceptionem Saluatoris. Petrus autem Damianus de vita Virginis Actiua, &

contem-

^a Gen. 3.

contemplatiua intelligit, ita vt nec actio
contemplationem minueret, nec con-
templatio defereret actionem.

Duo leones iuxta manus, significant
duplicem fortitudinem Virginis, Fidei,
quæ tempore Passionis Christi in ea so-
la mansit; & operis, quod omnia tam
constanter operata sit. Manum suam
misit ad fortia, & digiti eius apprehen-
derunt fusum. Prou. vlt.

Duodecim Leunculos aliqui duode-
cim Apostolos ei assistentes intelligunt.
Alij duodecim fructus Spiritus sancti.
de quibus Galat. 5.

Per aurum purissimum plerique
feruentissimam Virginis charitatem in-
telligunt.

Sex gradus, ferè sex singulares Virgi-
nis virtutes intelligunt, de quibus:

1. Oratio solitaria. *a Ingressus Angelus
ad eam.* Bernhardus. Quo ingressus? in
secretum cubiculum, vbi orabat Patrem
in abscondito.

2. Virgi-

a Luc. 1.

in

lis

do

co.

Ar

cu

ni

S.

ac

H

L

lis

lu

th

I

2. Virginalis verecundia. Turbata est in sermone eius.

3. Discreta prudentia. Cogitabat qualis esset ista salutatio.

4. Inquirentis diligentia. Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.

5. Humiliantis se, decencia. Ecce Ancilla.

6. Fidelis obedientia. Fiat mihi secundum verbum tuum.

Antiquissimum huius elogij testimonium videtur colligi posse ex Liturgia S. Iacobi Apostoli (qui Virgini Mariæ adhuc superstiti templum ædificauit in Hispania prope Cæsaraugustam) cuius Liturgiæ meminit S. Synodus vniuersalis can. 32. Et de consecr. dist. 1. b

In hac ita loquitur Iacobus Apostolus; Deus noster inquit, tuum vterum, thronum fecit. b

Sancti

a. Petr. Anton. Beuterus, in chron, Hisp. c. 23.

b. Io. de Pineda in Monarchia Ecclesiastica l.

10. c. 2. §. 4.

Sancti Patres varie quoque in huius throni commemoratione sese recreant.

Epiphan. *Deipara*, inquit, *a* etiam *cælorum virtutes in stuporem conuertit: obstupuerunt omnes Angeli Cherubin ac Seraphin, & exhorrescebant, spectabant Virginem cælum, & thronum, & formidabant, dum conspicerent eum, qui principio caret, descendentem à throno Cherubico, in vtero Virgineo sedere. Si cælestes illi Spiritus ita mirantur hunc thronum, quid nos facere par erit?*

S. Augustinus. *b* Sola meruit Deum & hominem paritura suscipere, facta thronus Dei, & Aula Regis æterni.

S. Bonaventura. *Marie*, inquit, *preparauerat Deus magnam gloriam in cælo, vt sicut fuit grandis in merito, ita etiam grandis esset in premio: Vnde ista est thronus ille grandis de quo dicitur; Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem: Thronus*
vero

a Serm. de laudib. Deipara.

b Lib. de Assumpt. c In spec. c. 12.

ve
gr

fo
rit

b c
gr

ta
ria

est
m

Ita
C

Be
be

liu
ele

ho
est

M
ria

SEDES SAPIENTIÆ. 61

vero Salomonis est Maria, grandis omnino in gratia, & in gloria.

Damascenus hanc Virginem etiam folium Regium appellat. *a* Et sane merito folium gloriæ Dei infra appellatur: *b* quia sicut Regium folium sedentis magnificentiam, ac maiestatem repræsentat; ita Deus in B. Virgine ostendit gloriam suam, & claritatem: Christus enim est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum. Ita Galatinus lib. 6. de arcanis Cathol. Christianitatis c. 18.

In hunc sensum loquitur etiam S. Bonaventura. in specul. cap. 7. *O vere beatissimum, ô vere stabilissimum folium. hoc folium excelsum est, in intellectu, eleuatum in affectu, excelsum quoque inter homines, eleuatum super homines: excelsum est gratia, eleuatum in gloria. In folio mentis Mariæ Dominus sedet, & domus corporis Mariæ plena erat Maestate eius.*

S. Bernhardinus Senensis, Thronus, *a* Orat. de dormit. *b* Hier. 17.

nus, inquit. *a* filij Dei, Mater illius est, quæ in conspectu eius sicut Sol fulgens est, quantum ad gloriam animæ, & sicut Luna perfecta in æternum, *b* quantum ad gloriam corporis sine defectu (in Assumptione) Proinde gloria resurrectionis fidelis est testis.

S. Bonaventura In Ecclesiastico (c. 43.) dicitur Vas admirabile, opus Excelsi. *c* Vere opus mirabile, quia nusquam inuenitur simile: Vnde de hoc dicitur: non est factum tale opus in vniuersis Regnis; non in Regno cœlestium, nec terrestrium, nec infernorum.

Sicut sedes ornata, ac Regio more parata sedentis magnificentiam, ac maiestatem repræsentat: Ita Deus in B. Virgine ostendit suam gloriam, & claritatem.

PIÆ

a Tom. 3. Serm. II. a. 3. c. 1.

b Psal. 88.

c In spec. c. 7.

P

I

te

th

g

m

a

H

m

st

na

vt

se

qu

no

ul

PIÆ CONSIDERATIO-
N E S.

1.

IN varijs thronis Deus sedet. Cœlum Dei sedes est, terra scabellum pedum eius. Sedet super Cherubim. hic autem thronus, de quo hæctenus egimus, thronus misericordiæ est. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in tempore opportuno. Hebr. 4. *Venite adoremus, & procidamus ante eum, exosculemur gradus, prosternamus nos, & clamemus, Salve Regina misericordiæ &c.*

2.

In quibusdam Regnis moris est, vt etiam vacuis Regum, & Reginarum sedibus honor habeatur, & externa aliqua reuerentia adhibeatur. Ita decet nos vel ad ipsum nomen **MARIÆ** exultare in corde nostro, & ad eam colendam

D 2

lendam

e in
um
a in
sine
re-ico
pus
us-
tur:
nis;
necno-
ac
s in
cla-

IÆ

lendam nos præparare. Quicquid eam repræsentat, aut dulcem eius memoriam refricat, nos in honore, & pretio habere decet, vt imagines eius, Rosaria, pios libellos de ea scriptos, Miraculorum monumenta, & his similia.

3.

Modum colendi hunc thronum pulchre describit. Noster Petrus Anto. Spinellus in compendio sui throni, & Praxi deuotionis erga B. Virginem. Ponit autem hos sex gradus, quibus quasi ascenditur piè ac reuerenter ad hunc thronum: Amore scilicet huius Virginis, Reuerentia congratulatione, fiducia, Virtutum imitatione, obsequijs, quæ ipse prolixè in illo libello explicat.

4.

Quæuis anima iusti etiam est sedes Dei, libenter eam Deus inhabitat, si ritè ornata, & præparata sit. *a Præbe fili mi cor tuum mihi.* ipse ambit, & desiderat hanc sedem. Modum autem præparandi

a Prou. 23. b Ioan. 14.

parandi & ornandi hunc cordis thronum Sponsus ipse clare, & diferte explicat: *a Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Paulò autem ante explicatur signum dilectionis his verbis: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Sunt ergo inseparabilia, diligere, & mandata Dei seruare, & vnum causat alterum.

5.

Ædificemus ergo similem thronum in corde nostro. Erigamus sex gradus, quos Deus libenter scandit. Gradus scilicet humilitatis, subdere se maiori, pari, minori, humiliter de se loqui, & sentire, optare vt alij etiam ita sentiant. Vel si lubet, alios præparare gradus licet, Deo similiter gratos. Timorem Dei, Humilitatem, Vitæ candorem & innocentiam, Obedientiam, Patientiam, Perseuerantiam. Vel sex opera miseri-

D 3

cordiæ

a Ioan. 14.

cordiæ exercendo. de his beneplacitum suum aperte Deus explicat: *Hæc est requies mea, reficite lassum, hoc est refrigerium meum.*^a

6.

Operiamus totam structuram auro purissimo, id est, flagranti igne charitatis, quæ omnia nostra coram Deo pretiosa, & splendida reddit.

7.

Stent in gradibus cordis nostri Leunculi magnanimi, qui hostem non metuant, sed fortiter aggrediantur. Sint vigiles; proprium enim leonum est, aperitis oculis dormire. Ita Sponsa de se loquitur. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*^b

O R A

^a Esa. 28.

^b Cant. 5.

m
m
ti
o
g
N
g
t
t
h
e
t
r
8
x
F
1

ORATIO.

O Solium gloriæ Dei, dignum Filij Dei habitaculum, Spiritu Sancto cooperante præparatum, ecce humillimè adrepo, ad thronum gratiæ & misericordiæ; colo, adoro magnificentissimam illam sedem Sapientiæ, quale opus non est factum in vniuersis Regnis. O dulcissima Virgo, & Mater Maria; quæ exultans in Spiritu, iure gloriaris: Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo; gratulor ex animo tibi, & mihi, & vniuerso orbi, de tanto honore, & gloria, tibi, tanquam electæ ex millibus, cœlitus collata. Ante hunc thronum cum viginti quatuor Senioribus illis humillime procido, veniam & gratiam imploro, quia tu vere es auxilium Christianorum, & refugium peccatorum. Deus ille misericordiarum, & Deus totius cōsolationis, quem Terra, Pontus, Æthera, colunt, ad-
D 4. rant,

rant, prædicant, qui non venit vt iudicet Mundum, sed vt Mundus saluetur per ipsum, de cuius infinita bonitate adhuc fragrant materna tua viscera, & dulcem amorem, erga omnes tui amantes, spirant. Curro ergo in odorem vnguentorum tuorum. O Mater misericordiæ, & pulchræ dilectionis; cum duodecim illis leunculis me immiscebo, & ad gradus huius throni vigilabo; Tu robur animi præsta, vt constanter tibi seruiam, & auro flagrantissimæ charitatis tibi affixus in omnem æternitatem à te non separer. Quæ in cœlis coronata triumphas &c.

VAS SPIRITVALE.

VAS HONORABILE.

VAS INSIGNE DEVOTIONIS.

ET si nulla explicatione hi tituli honoris indigeant, non erit tamen extra propositum, vnum vel alterum.